

248. Resp. *Neg. cons.* Sane aliquid, ut s. Thomas docet, potest dici proprium alicui, vel quia ipsi ita convenit, ut nulli alii subiecto convenire queat, « ut cum dicitur proprium hominis esse risibile, quia nulli extraneo a natura hominis convenit »; vel quia illud, quod de subiecto praedicatur, etsi aliis subiectis quoque conveniat, tamen eo modo, quo ipsi convenit, nulli alii subiecto convenire queat; ut « cum dicitur hoc proprie esse aurum, quia non habet admixtionem alterius metalli <sup>4</sup> ». Hoc praestituto, de substantia Dei idem, ac de *esse* Eius dicendum est; nempe quemadmodum *esse* est proprium Deo non eo quod res creatae non sunt entia, sed eo quod *esse* illo modo, quo convenit Deo, nempe, prout est purum, seu sine admixtione ullius privationis, aut potentiae, nulli naturae creatae convenit <sup>2</sup>; ita Deus proprie substantia est, non quia nulla res creata substantia est, sed quia substantia, prout perfectum actum subsistendi denotat, nulli rei creatae, sed Deo dumtaxat convenit. Itaque ex eo, quod Deus proprie substantia est, non fluit res creatas non esse, nec dici posse substantias, non secus ac ex eo, quod *esse* propriissime de Deo praedicatur, non sequitur ipsum non posse praedicari de rebus creatis <sup>3</sup>.

ART. III. *Quaedam adversus Spinosam, aliosque Pantheistas adnotantur*

249. Totum, quantum est, spinoziani systematis aedificium ambigua substantiae notione innititur, qua explicata, funditus illud corrui. Sane 1° Spinoza Deum unicam esse substantiam ex eo deduxit, quod cum dixerit substantiam esse id, quod *per se*, seu *in se est*, illud *per se* ita accepit, ut non solum inhaerentiam in alio subiecto, sed etiam causam effectricem a substantia distinctam excluderet, unde non nisi unicam substantiam

<sup>1</sup> *In lib. I Sent., Dist. VIII, q. I, a. 1 ad 1.*

<sup>2</sup> Cf p. 323, not. 3.

<sup>3</sup> Id luculenter s. Thomas docuit; siquidem, postquam monuit Deum dici substantiam, quantum ad id, quod est perfectionis in substantia, adiecit: « Et ideo non sequitur, quod omne, quod est substantia, sit Deus; quia nihil aliud ab Ipso recipit praedicationem substantiae sic acceptae, secundum quod dicitur de Ipso; et ita propter diversum modum praedicandi non dicitur substantia de Deo, et creaturis univoce, sed analogice »; *Ibid.*, q. IV, a. 2 ad 1. Cf p. 323-324.

Divinam existere posse collegit. At hoc falsum est, quia in definitione substantiae *esse per se*, sive *in se* non denotat eam huiusmodi esse debere, ut non recipiat esse suum ab alio, sed denotat eam non habere esse suum in alio, tamquam in subiecto <sup>1</sup>. Quamobrem s. Thomas scite advertit substantiam dici posse rem, quae non habet esse suum per aliud, si per *to aliud* intelligatur causa formalis, quippe quod causa formalis est intrinseca cuique rei; non vero, si per *to aliud* causa effectrix intelligatur, quia res creatae *esse* suum a Deo accipiunt <sup>2</sup>.

2° Spinoza substantiam ita definivit, ut in ea *essentiam* ab *esse* non distingueret, quia non dixit substantiam esse *essentiam*, seu rem, cui convenit esse in se, sed ens, quod in se est, seu ipsum *esse in se*; unde prout ei fuit omnem causam ab ipsa substantia diversam excludere; siquidem si in substantia *essentia* ab *esse* non distinguitur, necesse est, ut ipsa per *essentiam* suam existat. At vero, ut idem s. Thomas scite advertit « substantiae nomen non significat hoc solum, quod est per se esse, quia hoc, quod est esse, non potest per se esse genus, sed significat *essentiam*, cui competit sic esse, id est per se esse, quod tamen esse non est ipsa eius *essentia* <sup>3</sup> ». Et sane, substantia, cum sit quaedam categoria, rem secundum aliquem modum *essendi* determinatam significare debet; ac proinde intelligi non potest, nisi in ea et aliquid, quod quodam modo est, et quidam modus, quo ipsum est, distinguantur <sup>4</sup>.

3° Illud praetermissum nolumus, duo vitia quoque latere in demonstratione, qua Spinoza unicam substantiam Divinam existere statuit. Primum est, quod huiusmodi demonstratio in seipsam incurrit. Philosophus hebraeus primo substantiam ita definivit, ut non nisi *esse* Dei re vera significaret; deinde ex notio-

<sup>1</sup> *Ontol.*, c. VII, art. 1, p. 40.

<sup>2</sup> « Esse creatum non est per aliquid aliud, si *ly per* dicat causam formalem intrinsecam; immo ipso formaliter est creatura; si autem dicat causam formalem extra rem, vel causam effectivam, sic est per Divinum Esse, et non per se »; *In lib. I Sent.*, Dist. XVIII, q. I, a. 2 ad 2. Cf Ferrariensem, *In lib. I Contr. Gent.*, c. 32. Legere praestat V. Gatti, Ord. Praed., *Instit. apologetico-polemicae*, vol. I, lib. I, tract. I, Diss. I et II, Romae 1866.

<sup>3</sup> I, q. III, a. 5 ad 1. Cf *Ontol.*, *ibid.*

<sup>4</sup> Hinc, ut alibi adnotavimus (p. 324), substantia, prout categoria est, in Deum cadere nequit, quia in Deo *essentia* ab *esse* distingui haud potest.

ne substantiae, quam sua definitione tradidit, Deum dumtaxat esse substantiam deduxit. Alterum est, quod Spinoza ex solo conceptu substantiae argumentum ad existentiam eius petivit. Enimvero, cum notio substantiae dicitur esse res, cui convenit non esse in alio, vel, secundum Spinosam, ens, quod per se est, et per se concipitur, procul dubio non affirmatur esse revera in natura rem, cui convenit non esse in alio, sive ens, quod per se est, sed illud tantummodo deernitur, si quid est, cui convenit esse non in alio, hoc esse substantiam. Quocirca ex notione, quae definitione substantiae continetur, illud minime licet absolute inferre, quod substantia re vera existit, sed illud dumtaxat, quod re vera existit substantia, si res, cui convenit non esse in alio, existat.

250. Ad Pantheistas transcendentales quod attinet, 1° iam demonstratum a nobis fuit absurdam esse tum illam methodum, qua ipsi cognitionem nostram *a priori* investigare conantur<sup>1</sup>; tum illam sententiam, qua animam obiecta suae cognitionis sibi construere tenent<sup>2</sup>.

2° A vero longe abest pronuntiatum illud, quod ipsi a Neoplatonicis<sup>3</sup> acceperunt, *ideas nostras a rebus non distingui, atque subiectum cogitans, et obiectum, quod cogitur, unum, idemque esse*. Sane, quemadmodum s. Thomas contra Neoplatonicos argumentatus est<sup>4</sup>, in primis intellectio non est eadem cum re intellecta, quia mens non solum intelligit rem, sed per facultatem in seipsam redeundi, qua pollet, intelligit intellectionem rei; ex quo fit, ut non solum scientiae rerum existant, sed etiam scientia cognitionis rerum confici possit. Secundo, intellectio distinguitur ab intellectu, sive a subiecto cognoscente, quia si intellectus idem esset cum intellectione, ipse numquam in potentia, sed semper in actu foret, hoc est, semper cognosceret quidquid cognoscit, neque unquam novas cognitiones adquiret. Tertio, intellectus a re intellecta discriminatur, quippe quod res intellecta est principium, per quod anima eam intelligit<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> *Criteria*., c. VIII, art. 3, p. 266, vol. I.

<sup>2</sup> *Ideal.*, c. I, art. 4, p. 197, vol. I.

<sup>3</sup> P. 388, not. 2. — <sup>4</sup> *Contr. Gent.*, lib. IV, c. 11.

<sup>5</sup> Haec distinctio inter subiectum intelligens, et rem intellectam tum quoque locum habet, observante Balmesio (*Filos. fordam.*, lib. I, c. 8,

3° *To Ego purum* Fichtei, *Identitas absoluta* Schellingii, et *Idea* Hegheli maxime absurda sunt. Re quidem vera, mens nostra, Fichteo docente, ope abstractionis ad *ego puri* conceptionem ascendit. Atqui nemo vel in logica novitius ignorat abstractionem non posse confici sine subiecto, quod illam conficit, et obiecto, circa quod conficitur. Ergo *to ego puri* conceptio exurgere non potest, nisi subiecti, atque obiecti realitas praestituatur. Atqui conceptio *to ego puri*, secundum Fichteum, quamlibet tum obiecti, tum ipsius subiecti repraesentationem excludit. Ergo Fichteus turpiter sibi contradicit, cum conceptionem *to ego puri* veluti sui systematis fundamentum ponit. *Absolutum* autem, a quo Schellingius supremum cognitionis humanae principium derivat, est aliquid, quod mens per remotionem omnis realitatis, nempe per abstractionem ab obiecto, et subiecto in se contemplatur, et simul est realissimum, quia illud non solum reale, sed etiam totam realitatem, et fontem omnis realitatis esse contendit. Atqui illud, quod ex remotione subiecti et obiecti exurgit, quin fons realitatis sit, est *privatio absoluta*, seu *merum nihil*. Ergo Identitas absoluta Schellingii manifestam exhibet contradictionem. Denique, si Schellingius turpiter sibi contradixit, cum *Absolutum*, quod mens per remotionem omnis realitatis in se contemplatur, in Ens realissimum transmutavit, idem Hegheli obiciendum est, quia ipse asseruit *Ideam* esse ultimam abstractionem, ad quam mens, a rebus proprietates earum gradatim removendo, pervenit, et simul eam fontem omnis realitatis, ac proinde cum idea omnium maxime concreta unum, idemque fecit. Accedit, quod, cum idea visionem, sive repraesentationem significet, admittere ideam, quae neque ad obiectum, neque ad subiectum ullo modo refertur, idem est, ac admittere visionem sine re, quae videtur, et sine subiecto, quod videt; id, quo nihil absurdius effingi potest.

4° Quae cum ita se habeant, nihil est, cur dicamus, quantum impia, et abnormis sit notio Dei, quam isti Philosophi obtrudunt. Sane, secundum Fichteum, Deus 1° est *to ego purum*,

(91-95), cum mens seipsam, suasque actiones cognoscit; ipsa enim se diversa ratione affectam cognoscit, et se, tamquam obiectum cognitum, sibi, tamquam subiecto cognoscenti, opponit. Cf s. Aug., *De Trin.*, lib. XIV, c. 5, et 6.

quod seipsum tamquam purum ponit, sive, ut ipse blaterat, *creat*; 2° est nostrae mentis figmentum; nam, quemadmodum Fichteus ingenue fassus est, tres illae positiones, *non ego, ego non purum, et Deus* omni obiectiva realitate destituuntur; 3° est infinitum, et simul sibi limites assignat<sup>1</sup>. Secundum Schellingium, 1° Absolutum, sive Deus non tamquam illud, in quo omne actu est, sed tamquam illud, in quo aliquid *potentiale* est, intelligendum foret. Etenim evolutio Absoluti non potest concipi velut quaedam manifestatio; siquidem repugnat quidquam manifestum se facere, nisi sit aliud, cui se manifestet, nihil autem omnino est, cui Absolutum manifestare se potest, quia nihil, secundum Schellingium, reale est, praeterquam quod ipsum Absolutum, et quidquid praeter Absolutum existere videtur, re ipsa non existit<sup>2</sup>. Quare illa evolutio in ipso Absoluto ponenda esset. Atqui si in Absoluto omne actu esset, nulla evolutio in eo esse, et intelligi posset, quia cum illud, quod evoluitur, a *potentia* ad *actum* progredi debeat, repugnat in aliquo evolvi illud, quod iam actu in eo est. Ergo, ut illa evolutio in Absoluto explicari posset, aliquid *potentiale* in eo intelligendum esset. Iam Absolutum, in quo aliquid *potentiale* est, secum pugnare manifestum est. 2° Immo Absolutum Schellingianum non est, uti vidimus, nisi *Privatio absoluta*, sive merum *Nihil*. Hinc Oken Schellingii discipulus eo usque insaniit, ut *Absolutum*, sive Deum *Mognum Nihil* appellavit<sup>3</sup>. Denique, secundum Hegheliū, 1° unicum ens, sive Absolutum, et Infinitum, quod ipse vocat *Idea-Ens*, est aliquod *privative indeterminatum*, seu omnis determi-

<sup>1</sup> Etiam si demus *ego purum*, ut ut infinitum, posse aliquem limitem sibi ponere, a Fichteo quaerere nobis licet, utrum ad limites sibi assignandos ipsum se moveat, an a causa externa impellatur. Si hoc postremum, agnoscere necesse est causam *ego puro* superiorem, quae in ipsum vim aliquam exercet, ob idque quandam passionem *ego* tribuere; quae duo Fichtei systemati adversantur; ipse enim statuit quidquid existit ab *ego puro* originem habere, atque in eo *activitatem*, sive *spontaneitatem essentialem* agnoscit. Sine primum, sciscitari nobis liceat a Fichteanis, cur *ego purum* limites sibi ponat? Non sane ex se, siquidem nulla res ad imperfectionis statum spectat; neque ex eo quod in quodpiam obstaculum incidit, nam ex Fichteo nihil extra *ego*, eiusque ideas existit. Cf. Nicolas, *Introd. à l'étude de l'Histoire de la Phil.*, part. 2, c. 3.

<sup>2</sup> Cf. Ancillon, *Essai de phil. et de littérat.*, t. I, p. 357, Paris 1832.

<sup>3</sup> *Enchiridion philosophiae naturae* (germ.), Ienae 1831.

nationis expert<sup>4</sup>, unde collegit *Ideam-Ens* esse purum, putumque *nihil*<sup>2</sup>; et quoniam nihil est negatio entis, *Idea-Ens* esset ens, quod non est ens, sive ens, et non ens; 2° Ex evolutione *Idae-Entis*, ut Hegheliū ait, emergunt mundus, spiritus, et ipse Deus. Quare, cum *Idea-Ens* sit nihilum, Deus, ut Wilmius scite monuit, oriretur *ab actione vacui super vacuum, et nihili super nihilum*<sup>3</sup>. 3° *Non ens*, subdit Hegheliū, connectitur cum ente per *to fieri*, seu *devenire*, quod ipse tamquam principium effingit, quod sit medium inter *non ens*, et *ens*, et ex quo *non ens* determinatur ad hoc, ut sit *ens*. Ast praeterquam quod *non ens*, seu nihil incapax est, ut aliquo modo determinetur, seu aliquid fiat, tantum abest, ut *fieri*, seu *devenire* sit principium, ex quo ens explicari potest, ut ipsum, cum aliquid *potentiale* sit, ens iam actu existens, quod fit, seu *devenit*, et causam, per quam fit, subaudiat; haud enim possibile est, ut aliquid de potentia in actum, nisi per ens iam actu, progrediatur. Adhaec, quis tam vehementer allucinari potest, ut Deum, cuius natura, ut s. Thomas inquit, « maxime et purissime est actus<sup>4</sup> », in aliquo, quod per continuas evolutiones *fieri* indigeat, ut realiter sit, seu potius quod semper *fiat*, et nunquam sit, consistere effutiat?<sup>5</sup>

251. Denique in refellenda sententia Cousini nihil immorari nobis opus est. Etenim illa, quae docet, nempe res necessario a Deo creari, atque creationem in eo consistere, quod Deus mundum ex seipso educit, ex theoriis antea statutis<sup>6</sup> nullo negotio explodere licet. Unum, et alterum dumtaxat hic adiicimus. Sane, quoad creationis necessitatem, quam Cousinus ex absoluta

<sup>4</sup> Cf. p. 310-311.

<sup>2</sup> Haec illatio haud legitima est; nam ens *privative indeterminatum* est ens communissime acceptum. Iam huiusmodi ens cum *nihilo* confundi non posse adnotavimus in *Ontol.*, c. I, art. 3, p. 7, not. 5.

<sup>3</sup> *Diction. phil.*, art. *Hegel*, t. III, p. 35, Paris 1847. Accedit quod cum *Idea*, Hegheliū iudicio, sit ipsum Ens absolutum, et infinitum, extra quod nihil est, eadem argumenta, quibus evolutionem *Absoluti* Schellingiani absurdam esse demonstravimus, absurdam etiam evolutionem *Idae* heghelianaē produnt. Insuper positiones *Idae* Hegheliū ad positiones, sive ad creationes *ego puri* Fichtei reducuntur; quocirca illae, aequae ac de istis ostensum a nobis est, velut phantasiae deliramenta habendae sunt.

<sup>4</sup> *Qq. dispp.*, *De Pot.*, q. II, a. 1 c.

<sup>5</sup> Circa haec Transcendentalium commenta vid. etiam quae diximus in cap. II, art. 2, p. 310-311.

<sup>6</sup> Cf. p. 343-349, et *Cosmol.*, c. VII, artt. 1 et 2.

Dei natura inducit, audiatur iterum s. Thomas: « Quidquid in Deo est, est sua essentia; et ideo totum est aeternum, et increatum, et necessarium; sed tamen effectus, qui ex Eius operatione procedit, non necessario procedit, quia procedit ab operatione, secundum quod est a voluntate, et ideo producit effectum secundum libertatem voluntatis <sup>1</sup> ». Falsam autem omnino esse consuetudinariam notionem creationis, a s. Augustino docemur. « Creatura, sanctus Doctor ait, ita esse dicitur ex Deo, ut non ex Eius natura facta sit. Ex Illo enim propterea dicitur, quia Ipsum auctorem habet, ut sit: non ita, ut ab Illo nata sit, vel processerit; sed ab Illo creata, condita, facta sit <sup>2</sup> ». Atque inde ita concludit: « Quapropter creaturam universam neque consubstantiali Deo, neque coaeternam fas est dicere, aut credere <sup>3</sup> ».

252. His, qualiacumque sint, philosophiae elementis finem stantes, illud s. Bonaventurae, quod ipsorum indolem, nostrumque in iis pertractandis consilium perstringit, memoramus: « Scientia ista valet ad Fidei introductionem, et introductae protectionem, et protractae defensionem, et defensionis confirmationem <sup>4</sup> ».

## VOLVMINIS SECVNDI

## FINIS

<sup>1</sup> In lib. I Sent., Dist. XLIII, q. II, a. 1 ad 3. Et *ibid.* ad 2: « Sicut voluntas, et essentia, et sapientia in Deo idem sunt re, sed ratione distinguuntur; ita etiam distinguuntur et operationes secundum rationes diversorum attributorum, quamvis sit una tantum ipsius operatio, quae est sua essentia. Et ideo, quia creatio rerum, quamvis sit operatio essentiae Eius, non tamen in quantum solum est essentia, sed etiam in quantum est sapientia, et voluntas; ideo sequitur conditionem scientiae, et voluntatis, et quia voluntas libera est, ideo dicitur Deus ex libertate voluntatis res facere, et non ex naturae necessitate ».

<sup>2</sup> De Anim., et eius orig., lib. II, c. 3, n. 5. Et alibi: Non de seipso, hoc est, de sua natura, atque substantia genuit, sed de nihilo, hoc est, de nulla re fecit haec Deus. Cf. De natura boni contr. Manich. c. XXVII.

<sup>3</sup> Lib. imperf. de Gen. ad litt., c. 1, n. 2.

<sup>4</sup> In lib. III Sent., Dist. XXXV, dub. 2.

## INDEX

## CAPITVM ET ARTICVLORVM

## SECVNDI VOLVMINIS

## ONTOLOGIA

	PAG.	
Prolegomena . . . . .	3	
CAPVT I. — De ente absolute spectato		
ART. I. De notione entis, et de eius distinctione in possibile, et reale . . . . .	4	
ART. II. De notione nihili . . . . .	6	
ART. III. Quaedam adnotantur circa originem notionum entis, et non entis. . . . .	6	
ART. IV. Principium, quod ex notione entis dimanat, exponitur. »	10	
CAPVT II. — De entium essentia, existentia, et proprietatibus		
ART. I. Notiones essentiae, existentiae, et proprietatum declarantur. . . . .	13	
ART. II. Lockii et Giobertii error circa cognitionem essentiae rerum refutatur. . . . .	13	
ART. III. Nonnullae quaestiones ad notionem essentiae magis magisque declarandam valde utiles solvuntur . . . . .	15	
CAPVT III. — De proprietatibus omnium entium communibus, et primum de unitate		
ART. I. Ea exponuntur, quae proprie ad unitatem spectant . . . . .	18	
ART. II. De identitate, et distinctione . . . . .	19	
ART. III. De entium diversitate, similitudine, et aequalitate. . . . .	22	
ART. IV. De entium oppositione. . . . .	24	
CAPVT IV. — De veritate entium		
ART. I. Explicantur nonnullae notiones circa veritatem . . . . .	25	
ART. II. Omne ens esse verum ostenditur. . . . .	27	
ART. III. Utrum una sit tantum veritas, an plures. . . . .	28	
CAPVT V. — De bonitate entium		
ART. I. Quid sit bonitas, et quomodo ea sit proprietas entis, explicatur. . . . .	29	
ART. II. Nonnullae theoriae circa malum explicantur. . . . .	31	
ART. III. De pulcritudine. . . . .	34	